



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporvm Non Tantvm, Eorvmqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolviones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Episcopus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

tum, hoc idem confirmatur à Greg. XIII. Bulla 68. fol. 1295. idem censuit Sac. Congreg. declarat. 169. & ita fuit obtentum in facto Romæ, & Neap. in causa presbyterorum servientium eidam parochiali S. Joannis Hierosolymitanæ terræ Pulsini, Companæ diecesis, qui prætendebant exemptionem à jurisdictione Archiepiscopi, dum ibi essem Vicarius, & tulerunt sententiam contra se.

Quarto, quoad familiares Cardinalem, vel residentium in Romana Curia, vult, ut ratione beneficiorum, quæ obtinent in aliqua diecesis, subjaceant jurisdictioni illius Ordinarii, modo exempti omnes, quoad ea quæ pertinent ad beneficia, quæ possident, sunt subiecti Episcopis, & ratione illorum eisdem subjacent. Navar. cons. 9. de iure sacerdotum.

Quinto, quoad subcollectores, modo pro concordantia spoliorum facta cum sanctissimo Papa Sixto, sublati sunt, nec gaudere vult summus Pontifex exemptione, prout multories scriptum fuit à Reverendissimo majori Thesaurario, de mente Domini Papæ Reverendissimo Domino Nuncio Neapolitano, ut ipse vidi, & audivi, vide Boer. decif. 17. ubi habes, quinam dicantur Capitani Papæ, Regis, & Reginæ, ad hoc, ut gaudeant vel exemptione, vel perceptione fructuum in absentia. Præterea Ordinarius potest punire delegatum Principis, delinquenter in suo territorio, Boer. d. 1. 169. numero 5. & judex minor potest punire officialem Judicis majoris, dum tamen ei hoc notum faciat; idem icti,

numero 6. vide Capitaquensi. decif. 139. p. 2. nro. 5.

Sexto, Ecclesia exempta non potest renunciare suo privilegio libertatis, Abb. inc. cum tempore, num. 2. & 7. de arbitrio.

Septimè, quotmodis exempti sint subdito: orum Ordinarii, vide Abb. in Clem. unio. num. 5. de foro comp. licet remissive, & Ianc. inc. c. cum capella, num. 2. de privileg. dat regulam universalem, quod persona exempta, ratione rei non exempta, subiecta jurisdictioni Ordinarii, & citat portio c. quoniam ad hoc, de privileg. & Leo X. Bulla 8. que incipit, Regmini.

Octavo, an in loco exempto possit Episcopus exercere jurisdictionem, etiam si sit intra suam diecensem, videtur quod non, prout in cap. cum Episcopis, & ibi Glos. in ver. non exempto, & Gemini. ver. sed quid si Episcopus de offi. ordin. lib. 6. fecus sit Episcopus haberet jurisdictionem in personam exemptam existentem in dicto loco exempto, puta, in causa heresis, & aliis, prout dictum est in ver. excommunicatio, de causa materiali, dubio quarto, licet hoc nec placet Joan. Aadr. ut ibi innuit Gem. nam oper et, ut convertant duo, nempe jurisdictione in personam, & in locum, alias non posset.

EPISCOPUS.

PRIMO, videlicet in ver. Vicarius, hic vero tantummodo magis practicabilia attingam, & primè, Episcopus potest appellare, sine mandato specia-
li pro-

li pro sua civitate, & subditis suis, Guid.
Pap. q. 203.

Secundò, si committit causam alicui,
potest ab illa appellari, vel ad Metropo-
litum, vel ad ipsum Episcopum, Ioan.
Andr. & Io. Monach. in c. Romana, de ap-
pellat. lib. 6. Guid. Pap. q. 335. n. 42.

Tertiò, potest dispensare super jura-
mento, idem quest. 140. & vide in vers.
juramento absolutio.

Quarto, quando possit, vel non, in-
feudare rem Ecclesie, vide eund. q. 154.

Quinto, potest esse iudex in causa
propriæ suæ Ecclesie, sed potest recusa-
ri, ut suspectus, Capy. dec. 137. à num. 1. &
quid sit tunc agendum, ad quem recur-
rendum, vide in versi. Archiepiscopus, §.
1. Et in versi. appellatio, §. 15.

Sextò, ab Episcopo appellatur ad
Archiepiscopum, etiam in causis tem-
poralibus, glos. in cap. 2. in ver. infra de-
tinum quartum. de delicto puer. Capy. loc.
cū. n. 12. etiamsi Episcopus haberet Re-
galia à domino, seu à Principe sacerulari.
idem ibidem; nisi aliter habeatur in pri-
vilegio, seu consuetudine, secus in causa
feudali, quia tunc appellatur ab Episco-
po ad dominum, à quo ipse Episcopus
habet feudum, gl. in cap. Romana, §. de-
beat, in ver. jurisdictio, de appellat. lib. 6.
Capy. loco citato, Covat. pract. questio.
cap. 4. n. 2. ver. hinc factum est, c. ex trans-
missa, de foro compet. tamen hoc fallit,
quando super feudo ageretur criminali-
ter, Foller. in addit. ad Alarant. 4. par. di-
stin. II. n. 75.

Septimò, Episcopus, idemque Cano-
nicus in aliqua Ecclesia, debet sedere ut
Canonicus, non ut Episcopus, glos. in

cap. à collatione, in vers. Prelatus, de appel-
lat. lib. 6. Capy. dec. 27. num. 26. Vinc.
Franc. dec. 138. n. 5. secus si esset Cano-
nicus & Episcopus simul in sua Eccle-
sia, quia tunc in primo loco; vel quando
alter non se habeat privilegium, vel
conventio, ut in Episcopo Mellitensi, Ca-
put aquensi. dec. 307. part. I.

Ottavò, Episcopus factus ex Regu-
laribus, non habilitatur propter hoc ad
habendum proprium, & ad disponen-
dam ad hanc de proprietate, idem
Capy. dec. 200. D. Thom. 2. 2. q. 88. art.
2. ad 4. Et q. 185. ar. ult. in corp. licet Soto
li. ult. q. ult. ar. ult. de just. Sime, aliter sen-
tient, & forte non longè à recto tramite.

Nondò, Episcopus in sua diocesi de-
bet honorari ab Archiepiscopo, dum est
in diocesi illius Episcopi, & Cardinalis
debet eandem reverentiam Episcopo in
sua diocesi, idem dec. 27. num. 24. Et
25. Ratio est, quia Episcopalis dignitas
multum est commendanda, Abb. in Cle.
si quis suadente nn. 26. de patitur.

Dicimò, Episcopus, qui in jurisdictio-
ne erga suos subditos exercenda debebat
habere consilium sui Capituli, potest
consuetudine, vel præscriptione sibi que-
rere, ut dictum consilium minimè requi-
rere teneatur, c. non est, de consuetudine, lib.
6. Capy. dec. 134. n. 3. facit pro 6. 6. Jeff.
25. Conc. Trid. ubi disponitur in quibusdam
Episcopum debere adhibere con-
silium Capituli, sed vide in ver. Capitu-
lum, §. 8. & hoc etiam ampliatur, si illud
consilium adhibere debeat in institu-
endis, vel conferendis beneficiis, Selva
tract. de benef. 2. p. q. 22. n. 13. Et 14. & ita
communiter hodie servatur in praxi.

D d 3

Un.

E P I S C O P U S.

114

Vndecimò Episcopi familiares gau-
dient privilegio fori competenti domino
Episcopo, Capyc. decis. 12. & Episcopus
potest cognoscere de delictis suorum of-
ficialium, etiam civilibus. Anch. in ca.
Romana, §. contrahentes, de foro
comp. lib. 6.

Duodecimo, Episcopi non debent
deservire laicis principibus, nec Regulis,
nec Baronibus, nec ministris Regum,
sed locum, & gradum convenientem
suum dignitati tam in Ecclesia, quam
foris sibi retinete, Conc. Trid. sess. 25.
capit. 17. de resor. & tam in Ecclesia,
quam in Choro, & processionibus, &
omnibus actis publicis prima sedes de-
betur Episcopo, Conc. loc. cit. cap. 6. §.
Episcopus, de resor. & in 8. Synodo Con-
stantinopol. actio. 19. Cap. 14. fallit ta-
men, quando sedet ut Consiliarius Re-
gis, quia tunc non præcedit alios Consi-
liarios, Vincen. Fran. dec. 138. n. 5.

Decimotertio, Episcopi quam sit
magna auctoritas, & quæ possit, vide
per extensum Syl. loc. cit. 4. p. q. 7. à n. 8.
& infra, an possit dispensare in juramen-
tis, jejuniis, homicidiis, incestu, esu car-
nium, & aliis (exceptis quibusdam) cum
passim dicatur, non posse Episcopum
dispensare supra jus positivum, cum ipse
subsit illi: vide Sot. lib. 1. q. 7. a. 3. de inst.
& jur. gloss. & alios, in c. si clericis, §. de
adult. de jud. ubi habetur quod sic, nisi
sit reservatio conditori.

Decimoquarto, Episcopus æquipara-
tur Duci, Comiti, vel Baroni, Bartol. in
l. 5. in principio & ibi Alex. ff. de ver. ob-
lig. Maran. 4. p. dist. 5. num. 13. & assimili-
atur illustrib. & spectabilibus, & habet
pulcherrima & suprema nomina. An-

cha. in c. & si sententia, n. 4. dere jud. li. 6.
& ideo delegati ab Episcopo non pos-
sunt subdelegare, ob rationem, quam af-
fert Iason in l. à judge, n. 17. de jud.

Decimoquinto, Episcopi usque ad
Clement. V. & Joann. XXII. erant in
dignitate supra Cardinales, Gom. in q.
de Episcop. dignit. Domin. in reg. Cancel-
colum, 1. Abb. in c. cum Apostolus, num. 1.
& 2. de censib. Felin. en cap. super his, col.
fin. ver. ult. dicit hic, de fide instrum. ta-
men hodie digniores sunt Cardinales
ipsis Episcopis, ob rationem assignatam
à Staph. fol. 247. nu. 17. Vide Gemin. in
proæm. lib. 6. decret. §. sanè. norab. 5. & in
cap. cum aliquibus, vers. quod operatur, de
rescrip. eod. lib. ubi etiam dicit, quod us-
que ad Bonifacium VIII. Episcopi non
siebant Cardinales, ad hoc ne viderentur
descendere à majori ad minorem gradū.

Decimosexto, Episcopo dato suspe-
cto, lex dat sibi ad iunctum Episcopum,
vel recurrentiam esset ad superiorem,
Capyc. dec. 187. n. 3.

Decimo septimo, Episcopus an possit
de novo facere Collegium? Selva loc.
cit. 2. p. q. 22. num. 16. per c. quoniam, de
vita & honest. cler. dicit quod sic; vide lu-
perius in ver. Collegium, ubi Re-
buff. dicit quod non, sed ego censeo
cum Selva.

Decimo octavo, Episcopus an possit
concedere Ecclesiam laicis, vel regulati-
bus, vide Panot. in c. de monachis, num.
7. & 15. de præbend. & in cap. cum olim,
il 2. num. 4. de privileg. & in capitul. pa-
storalis, numero sexto, eodem titulo, & ita
gloss. in ver. de proventibus, gloss. In cap.
vobis, in ver. in capella, de jure patron. &
in

*In capit. 2. numero 2. versi. circa tertium, ne cler. vel monach. &c. vide Joan. And. in cap. ex ratione, de etat. & qualit. Innocent. in cap. secundo de judic. ubi habetur quod sic, & hoc stante aliqua necessitate, vide *capit. ad audienciam, de Eccles. edifi. capit. ad nostram de rebus Ecclesiae non alienan. capit. pastoralis. de donat.* Selvam loco cit. quarta parte, quæstio. septima, numero vigesimo septimo, versicul. 135. numero trigesimo octavo verso. 100. Hostien. in summa tit. de offi. ordin. §. sunt autem quadam, & Episcopus potest sibi retinere pensionem, quando confert Ecclesiam, dummodo non augatur antiquus census: vel potest sibi retinere moderatum censum in signum dominii. Hostiens. loco citato, §. in tit. de transactio. §. & in quibus, numero quarto, & in signum devotionis & memorie beneficiorum, Innocent. in cap. constitutus. numero primo, de relig. domib. &c. hoc ampliatur, quod Episcopus potest conferre Ecclesiam nondum vacantem, loco, sed non personæ, Abb. in cap. consilvit de donatio. Bald. in margar. Innoc. in ver. Ecclesiae quæst. quinta, hacten limita, quod non possit ita donare, seu concedere Ecclesiam, quod in totum jus Episcopale dimittat, quia tunc illa Ecclesia esse acephala, Innocent. loco citato, numero secundo. Sed si Episcopus concederet Ecclesiam, eximendo eam à se in totum, valet si confirmatur à Papa, tecus vero non. Abb. in cap. Pastoralis, de his quæ sunt à pralat. &c. Feder. confi. 4. Felin. in c. cum laicus, de rebus Eccl. non alien.*

Decimonond, Episcopus habet ea-

dem privilegia circa officium inquisitionis, quæ habet Inquisitor delegatus, & maximè absentibus istis Inquisitoribus, & ubi non adsunt Inquisitores, Pen. Schol. 114. in 3. p. Direct. Inquisit. in fi. Vigefimò, Episcopus est judex ordinarius in causa fidei, sed dubia circa fidem sine Ecclesiæ Romanae licentia diffinire non potest, Direct. Inquisit. 2. p. per c. ad absolvendam, num. 3. de heret. Pen. ibi, confi. 8. c. quoties, 24. q. i. c. maiores, de Bapt. sc. super quibusdam, de ver. sig. led potest haeresim jam condemnata condonare.

Vigesimoptimumò, Episcopo delegato in causa Religionis mortuo, non succedit Capitulum, vel successor Episcopus, Direct. Inquisit. secunda parte, ver. capitulo ad abolendam. n. 22.

Vigesimotegundò, Episcopus propriis impensis tenetur animadvertere in hereticos, Direct. Inquisit. 2. par. Extravag. Bened. §. verum.

Vigesimotertiò, Episcopo aliquando interdicitur iurisdictio, Innoc. in c. lice Heli, de simon. Canonista in capitulo venerabilis, de offic. deleg. Vinc. Frat. decif. octava, numero ultim.

Vigesimoquartò, an Episcopus possit emere bona Ecclesiæ à suo capitulo, nomine tamen Ecclesiæ, sine consentiu superioris? Respondetur affirmative, Novel. de iur. protim. §. 2. num. 142.

Vigesimoquintò, Episcopus non potest disponere de futuris, in præjudicium successorum, nisi durante vita sua, Afflict. decif. 101. Vinc. de Franch. decif. 16. num. 7, &c. sic decisum fuit in factobis.

Vige-

Vigesimosextò, Episcopum si quis injuriosè, vel temerè percusserit, seu cœperit, aut bannierit, est ipso jure privatus beneficio. Clem. i. de pen. Rebuff. præst. benef. titul. de modis amitt. benef. numero 39. & 40.

Vigesimoseptimò, Episcopum sua civitas occidens, privatur ne deinceps habeat talēm dignitatēm, capitulo, ita nos, 25. quest. secunda, Rebuff. in titulo de different. in titulo priuile. refert. & mand. num. trigesimoquarto, Covarr. lib. 2. capit. 8. in fin. var. resol.

Vigesimoctavò, Episcopus potest dispensare cum illegitimo ad minores ordines, & ad unum beneficium simplex, cap. 1. & 2. fil. presyb. lib. 6. Navar. c. 27. num. 201. Vide Gem. in d.c. vers. nemo, ad secunda.

Vigesimonondò, Episcopo competit malè ablatorum dispensatio, Abb. in Clement. religiosi, numero vigeſimoquarto, de privi. sed Nav. conf. 18. n. 7. & 14. de paen. & remissio. dicit, id non competere Episcopo de jure, quia id possunt facere partes per se met ipsas, & per confessarios: tamen hoc potest intelligi de consuetudine generali, vel speciali, & sic vidi omnes Episcopos vel sibi retervare in summa notabili, putā supra decem aureos.

Trigesimò, Episcopatus licet alter altero sit pinguior, tamen omnes sunt pari dignitatis, Abb. in c. si. num. 16. de trans. Episcop.

Trigesimoprimum, Episcopus potest dispensare cum excommunicato accipienti vel acceptanti beneficium, si collatio illius beneficii ad ipsum Episco-

pum pertinebat; secus non, nisi is qui dispensationi consentiat, Covarr. in cap. aliam mater, prima par. §. 7. num. 8.

Trigesimosecundò, Episcopus tenetur ex facto sui Vicarii, & imputetur sibi, si malum Vicarium elegit, Hostiens. in c. ad hac. de offi. Archid. Bald. in marg. Inno. in vers. Episcopus, hoc intelligitur, nisi postquam sciverit, purgaverit eum, addit. ad quest. 37. Cap. Tolos. & Rot. dec. 272. & Nav. conf. 3. n. 62. de statu monach. & non solum de facto Vicarii, sed omnium suorum Officialium. Rebuff. in for. Vic. Archiepiscopi, & aliorum num. 188. & quando dicitur, quod Episcopus tenetur ex facto sui Vicarii, seu officialis, intelligitur de omni potestate, quæ tenetur de malè gestis per suos officiales, sed in tectibus concernentibus officium, non autem extra eorum officium; & ita Roma. in conf. 338. quo dicitur: In causa proposita consultationis, quod communitas non tenetur de delicto officialis, à selecti, quando delinquit extra materiam sui officii. Vid. Iason. in l. age, cum Geminiano, n. 3. ver. & dicit Angelus, de transact. & quomodo possit Episcopus, vel potest castigare suos officiales delinquentes extra officiale, tanquam familiates, dixi in ver. Episcopus, supra, §. 2. & in secunda p. eodem versiculo, §. 24.

Trigesimotertio, Episcopi creati ex aliqua Religione, non mutant habitum. Conc. Gene. 8. Can. 27. ad 10. 10. nec utatur lineis i. Rocheto, etiam si fuerit Monachus, Navar. in capitulo statuimus, num. 28. versiculo 2. 19. q. 3. capitulo clerici, il 2. de via & hon. cleric.

Trigesimoquarto, Episcopus est judex legitimi

legitimus, quando causa est suæ Ecclesiæ vel Episcopatus, sicut; quando causa personalis, Rodoa, tract. de reb. Eccles. non alien. quæst. 78. cap. 8. numero 5. Et infra, quod Episcopus sit judex in causa Ecclesiæ suæ, vide c. si quis erga, cum gloss. ult. 2. quæst. 7. Navar. consil. 20. de rescript. Et consil. 28. de sentent. excommunicat. in ult. Et cap. quia predia. 12. quæst. 3. cum sit. de foro com. cap. dilectio, de sent. excommunicat. libr. 6. Cap. decis. 12. 4. num. II.

Trigesimoquinto, an Episcopus celebrans privatè in diœcesi aliena, possit uti benedictione Episcopali, cum verbis, Sit nomen Domini benedictum, &c. Respondeatur, posse, cùm ista sint potius ordinis, quam jurisdictionis (ut more Canonistarum loquar) & sic fuit conclusum Neapolitani, in quodam colloquio habito circa hoc in facto coram quibusdam reverendissimis Prælatis, me præsente. Et ratio potest esse, quia si conceditur Episcopo celebrare in aliena diœcesi à jure, pro ut patet juribus vulgatis, absque licentia Ordinarij, concedi etiam debet benedictio Episcopalis, tanquam accessorium, & consequens illam celebrationem, per cap. cui licet, Et ibi gloss. in print. de reg. iur. I. quam videoas. Gem. in cap. avaritia, de lect. lib. 6. vers. quid de lect. ubi dicit, quod benedictio est duplex, quædama solemnis, quædam privata: privata est, quæ fit in Missa privata, quæ etiam competit Sacerdoti; solennis est, quæ fit cum solennitate.

Trigesimo sexto, an Episcopus teneatur quotidiè celebrare Missam, vel eam audire: Responderur quoad primum, quod diebus Dominicis, & festis solen-

nibus, & tam frequenter, quod suo muneri satisfaciat. Ratio est, quia Episcopus etiam habet curam animarum, cùm sit parochus totius suæ dicæcisis, ut patet vulgatis, & in ver. 10. §. 10. argumento sac. Concil. Trid. sess. 13. 14. de resor. licet non sub reatu peccati mortalis, cùm non reperiatur sub præcepto, nisi ratione obligationis, contemptus, vel scandali, Nav. cap. 6. numero 19. Et Matth. cap. 18. Luc. cap. 17. Mar. s. 4. 9. V. a homini illi, per quem scandalum venit. Quæd secundum, respondetur, quod non, ita Nav. cap. 22. numero 2. Et de hor. Canon. cap. 3. numero 29. Nec obstant, cap. fi. de priv. lib. 6. Et cap. solet, de consec. d. i. quia intelliguntur de congruentia, de consilio, & bene esse, ita gloss. in Clem. 1. in ver. Canonicas, de celebri. Miss.

Trigesimo septimo, Episcopus duorum Episcopatus unitorum, degens in altero, potest expedire negotia alterius Episcopatus, Inno. ix cap. novit. de officio leg. Rebuff. in tit. de unio. nume. 16. Ratio est, quia in suo territorio potest exercere suam jurisdictionem, cap. ut animarum de constit. libr. 6. Nav. consil. 2. de off. iudic. ord. Cætera vide in additionibus majoribus

EXEQUUTOR APOSTOLICUS

SVMMARIVM.

1. An debeat procedere citata parte.
2. An possit cogere impetrantem ad probandum valorem beneficii, licet illum expresse rit in Cancellaria Apostolica, iuxta formam regulæ, de exprimendo valorem beneficii

E c

3. An